

berg  
1571









1669 10  
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS <sup>6</sup>  
EXHIBENS PRAECIPVAS  
**JURIS COMMUNIS**  
ET  
**ELECTORALIS PALATINI**

circa materiam successionis ab intestato  
differentias

QVAM,  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
DECRETO ET AUTHORITY  
**MAGNIFICI ET AMPLISSIMI IN PER-**  
**VETUSTA HEIDELBERGENSI ACADEMIA ICTORUM**  
ORDINIS

P R A E S I D E  
VIRO MAGNIFICO AC CONSULTISSIMO  
**DN. JOH. FRIDERICO**  
**BÖCKELMANNO,**

Jcto Celeberrimo, SERENISS. ELECT. PALAT. Consiliario, & Cu-  
riae Aulicae Vice-Præside, Facultat. Juridicae Antecessore Primario  
Ejusdemque p. t. DECANO Spectatissimo, Fautore  
ac Promotore suo ætatem venerando

P R O  
**SUMMIS IN UTROQUE JURE HONO-**  
**RIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME**  
CONSEQUENDIS

Publicæ ac solenni Eruditorum Censuræ submittit  
**REINHARDUS LUDOV. LINGELHEMIUS,**  
Palatinus.

Ad Diem 13. Julij. H.L.Q.S.  
HEIDELBERGÆ,  
Excud. GUILIELMUS WALTERUS, Acad. Typogr.  
Anno M. DCLXIX.



10





I. N. S. S. T.

T H E S I S I.



Mnis hæreditas, quæ *deficiente Ju-*  
*liano l. 62. de R. J.* nihil aliud est, quam  
 successio in universum jus, quod defunctus  
 mortis tempore habuit, est vel testamenta-  
 ria, vel legitima *l. 3. §. 2. ff. pro soc. l. 6. §. 1.*  
*quæ in fraud. cred.* de testamentaria jam præ-

Tit. 1. Von  
 Erbschaffe  
 der jenigen  
 die ohne  
 Testamene  
 Tods ver-  
 fahren.

cedenti Disputat. actum, sequitur, ut secundum seriem  
 Ordinat. Pal. quid circa legitimam Jure Civili & Palatino  
 obtineat, pro ingenii viribus proponamus. Hæreditas le-  
 gitima est, quæ defertur ab intestato, *§. fin. per quas pers.*  
*cuique acq.* Ut igitur hæc locum habere possit de Jure Ci-  
 vili videndum an defunctus testamentum reliquerit, nec  
 ne, quod si is heredem sibi nominavit, is præfertur, *quam-*  
*diu enim ex testamento hereditas potest adiri, ab intestato non*  
*defertur l. 39 ff. de acq. her. & ab Impp. in l. 8. Cod. comm.*  
*de success. rescriptum* testamentariæ successionis spe durante,  
 ab intestato bona defuncti non rectè vindicantur, atque  
 ita etiam à Sereniss. nostris Legumlatoribus expressè con-  
 stitutum *pr. h. t. ibi Wann jemandis auß dieser Welt ver-*

A

schiedens



Schieden / so ist forderst zusehen ob er ein Testament hinterlassen. 2c.

II.

Ut verò ex testamento hereditatem quis acquirere possit, requiritur ut ipsum testamentum nulla sui parte sit vitiatum vel suspectum, vel testator tales personas non habeat, quæ aut exheredandæ aut instituendæ necessariò sunt *Nov. 115. cap. 3. 4.* his observatis, heres scriptus, modo ipse ad succedendum sit habilis, omnimodò admittitur, exclusis defuncti cognatis, quamdiu enim potest valere testamentum legitimus non admittitur *l. 89. de Reg. Jur.* uti jam præced. thes. monuimus; Huic Juris Civilis dispositioni etiam convenit Jus Palatinum §. 1. *h. t.* ibi Doch soll vnd muß solch Testament allerdingß den gemeinen oder vnseren Landrechten / gemäß auffgericht sein / 2c.

III.

Deficiente igitur testamentaria, successio ab intestato locum habet, ex conjectura voluntatis, licet enim hic expressam mentis suæ non ediderit testationem, quia tamen non credibile est, ejus cum mentis fuisse, ut post mortem suam bona occupanti cederent, sequitur, ut eius esse bona intelligantur, cujus ea voluisse defunctum maximè erat probabile, unde & Jctus Paul. scribit, quod credatur paterfamil. ab intestato succedentibus, sponte sua relinquere legitimam hereditatem *l. 8. §. 1. de Iure Cod.* eo ipso tamen dum non adimit, uti in simili loquitur Ulp. *l. 1. §. 6. de Leg. 3. Don. 7. Comm. 16. Dn. Struv. h. Thes. 3.* quod tamen eo tantum casu procedere videtur, quo defunctus ab initio intestatus decessit; nam cum testamentum factum, quacunque ratione infirmatur & res postea ad causam intestati reducitur, nulla videtur esse vel tacita defuncti voluntas,



luntas, sed ex sola lege vocantur & succedunt proximi, æque hæc ita de Jure Civ. obtinent, Jus Palatinum novi hic nihil statuit, sed Juri Civili optimè concordat §. 2. h. 1. ibi. Wo aber kein Erb-Sagung beschehen / alsdann kombt man erst zu Erbung derer so dem verstorbenen am nechsten zus gehan 2c.

IV.

Jure Civ. pacta de mutua successione non admittuntur l. 61. ff. de V. O. l. 15. l. 19. C. de pact. conv. uti jam præced. Disputat. th. 13. pluribus demonstratum. Jure verò Electorali Palatino rata illa habentur §. 3. h. tit. Wo Heyraths Abred oder andere pacta vorhanden wären / soll es darben verbleiben.

V.

Veteres Romani cum summopere anniterentur, ut urbs civibus esset frequentissima ad prolem populi frequentandam varia præmia in maritatos & contra pœnas in cœlibes constituerunt, uti videre est apud A. Gell. N. A. l. 2. c. 15. sic Romani Censores Camillus & Posthumius, æra, pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cœlibes pervenerunt in ærarium deferre jusserunt. Val. Max. l. 2. cap. 9. Hinc lex Julia de maritandis ordinibus lata est, quæ voluit, ut omnes cives Roman. viginti annis majores, uxores sponfasve haberent, ut qui liberos quos in potestate haberent, injuriâ prohibuerint uxores ducere vel nubere, à Magistratu cogerentur in matrimonium collocare & dotare, ut nuptiæ essent foecundæ, & alia. Gædd. ad l. 128. de Verb. S. Hinc etiam Spartanicœlibes media bruma nudi forum obire, & cantilenam in se compositam concinere cogebantur. Speid. in not. Jur. hist. pol. verb. Ledig. stande. Hinc etiam in quibusdam Palatinatus locis, & non tantum Odenwald/



ut vulgò putatur, sed etiam adjacentibus quibusdam pagis, circa successionem coelibum, vulgò *Hagenstelsken* / specialia quædam sunt constituta, de quorum conditione, cum non omnibus satis nota, quædam addemus. Sunt autem *Hagenstelsken* / nihil aliud, quam proprii homines in certis locis potissimum versus sylvam Ottonicam existentes, qui si extra conjugium, vel sine parente, proles decedant, vel etiam fratres aut sorores conjugatas vel cum quibus bonorum divisio jam sit facta, relinquunt, item si nullam voluntatis ultimæ ediderint declarationem, vel superstites adhuc bona sua in tertium, legitimis tamen requisitis intervenientibus, non transfulerint, fisco hæreditatem deferunt, sive majores sint viginti quinque annis sive minores, *Chur-Pfals Lands-Ordn. Tit. 8.* & tale genus hominum etiam in aliis locis, ut Sabaudia & Delphinatu, reperire licet, ubi non tantum proximi agnati sed & parentes à fisco excluduntur, videatur *Justitia Causæ Palat. p. 1. c. 2. §. 7.* Competit etiam ratione bastardorum Sereniss. Electori Jus succedendi, sed de his inferius commodior dicendi locus se offeret, ubi quid obtineat, dicemus.

VI.

Hodiè ex Jure Civ. ad successionem ab intestato, vocatur quis vel jure cognationis, vel ratione aliqua civili; affinitatis nulla habetur ratio, sic enim à Dioclet. & Maxim. rescriptum, affinitatis jure nulla successio permittitur *l. 7. C. comm. de success.* nec nutritoribus aut alumnis hoc nomine civili aut honorario jure defertur hæreditas *l. 10. C. eod. l. 24. C. de Episcop. aud.* neque vitrico privigni successionem ab intestato deberi certissimum est *l. 3. C. comm. de success.* neque socius socio hîc succedere potest *l. 1. Cod. qui test. fac. poss.* omissis igitur his, qui succedant & quomodo



modo successio illa fiat, tam de Jure Civ. quam Palatino pertractandum nobis erit, & primo quidem de cognatis videndum, quos hic in genere accipimus pro omnibus illis qui sanguine conjuncti, etiam parentibus & liberis, ut in *l. 1. ff. de grad. & affin. pr. Inst. eod.*

VII.

Cognati quibus hereditatem primo deferri diximus consistunt vel in linea recta vel obliqua. In recta sunt descendentes & ascendentes, in obliqua transversales. *Althus. libr. 1. Jurisprud. cap. 22.* Ex his descendentes seu liberi primum obtinent locum tam ex Jure divino ad *Gal. cap. 4. vs. 7.* quam naturali, cum ratio naturalis quasi lex quaedam tacita, liberis parentum hereditatem addicat, velut ad debitam successionem eos vocando *l. 7. de bon. damn.* & liberos ad bona parentum admittit naturæ simul & parentum commune votum *l. 7. §. 1. si tab. test. nulla ext.* tam ex jure civili *§. 1. Inst. h. t. pr. Instit. de Senatusc. Orfic. in pr. Inst. de success. cogn.* quam canonico *c. 16. extr. de Testam.* tam feudali *c. per successionem. 2. Feud. II.* quam jure nostro provinciali *pr. h. t. ibi.* Das die Kinder vor allen andern Verwandten / vermög Göttlicher und Wellicher Rechten die Eltern erben.

Tit. 2. Von Erbgerichtigkeit der so in absteigender Linien dem Verstorbenen verwandt.

VIII.

Liberi autem hi in varia rursus conditione tam de Jure Civili, quam Palatino in *f. d. pr. ibi.* So ist zu wissen das unter solchen Kindern mancherley unterscheid seyn. (1.) Quidam monstrosi, quidam perfecti, ex quibus priores qui monstrosa aut prodigiosa forma converso ordine procedunt, non succedunt *l. 3. in fin. Cod. de Posthum. her. Inst. de quibus cum jus provinciale contrarium expressè non statuerit, meritò juri civili standum* (2.) Quidam sunt na-

A 3 scituri,





scituri, quidam jam nati, cæterum ut liberi succedere possint, necesse non est eos jam aura vitali frui & natos esse, sed si mortuo patre nascantur, eodem modo succedunt, ac si jam vivo patre editi fuissent. §. 2. in fin. Inst. h. tit. l. 7. de suis & legit. her. cum posthumi quoties de eorum commodo agitur pro jam natis habeantur l. 7. de statu hom. Jus patrium his quoque hereditatem tribuit. dict. pr. ibi: **Ob sie nach absterben von seiner Schwangern Frauen zur Welt kommen.** (3.) Alii naturales & legitimi simul, qui ex justis nuptiis procreati sunt pr. Inst. de patr. pot. alii legitimi tantum sive adoptivi, qui legis autoritate tales facti §. 4. Inst. de adopt. alii naturales tantum, quales sunt liberi ex concubina nati §. fin. Inst. de nupt. quos sola natura genuit, non honestas conjugii c. liberi. 32. quest. 4. & hi jure civili idem sunt cum nothis, unde quæ rubr. est in Cod. de nat. lib. ea in Nov. est *περι νόθων* Gædd. ad l. 56. de V. S. num. 8. Gabr. Paleot. Tract. de Spur & noth. cap. 7. num. 5. Jus Palatinum nothos ad spurios refert & à naturalibus distinguit §. 1. in fin. h. ibi: **So Bastart / nothi, spurii genannt werden / 2c.** Alii spurii, item vulgo concepti qui patrem demonstrare non possunt l. 23. de Stat. hom. alii nefarii, adulterini ac incestuosi, qui ex nefariis ac incestis nuptiis progeniti l. 5 l. 6. l. 10. l. 11. C. de nat. lib. alii legitimati qui cum naturales tantum essent ex post facto legitimi sunt effecti, quod variis accidit modis, atq; de his posterioris generis liberis quomodo succedant juxta ordinem juris Palatini videbimus.

**Tit. 3. Wie natürliche vñ zugleich eheliche sine der erben.**

**XI.**

Naturales & legitimi simul parentibus suis indistinctè succedunt, adeò ut licet defunctus, de cujus successione quæritur, in alicujus fuerit potestate, liberi tamen ejus parentibus præferantur, illis in rebus quæ, filio vivente, paren-





parenti non sunt acquisitæ *l. 4. C. de bon. qua lib. l. fin. C. comm. de success. Nov. 118. cap. 1. auth. in successione. C. de suis & legitimis*, nulla habita ratione sexus aut patriæ potestatis, sublata namque est hac in materia, sexus, patriæ potestatis & emancipationis, agnationis & cognationis differentia *dict. Nov. 118. c. 1. & c. 4. Forst. de success. ab intest. l. 8. c. 9. num. 6.* Neque jus provinciale hîc distinctionem inter liberos facit, sed omnes sine qualibet hujusmodi differentia ad successionem vocat *pr. h. t. ibi: Solches verstorbenen eheleibliche Kinder etc.*

X.

Ad successionem autem hanc eo melius intelligendam, tam de jure civili quàm statuario, tres potissimum distinguendi casus. Primus est quando defunctus reliquit solos liberos primi gradus, & hi succedunt viritim seu in capita, hoc est, hereditas dividitur juxta numerum personarum, ut tot fiant portiones quot sunt personæ, & quidem, si nepotes ex illis primi gradus liberis vivis adhuc supersint, illi excluduntur, adeò, ut filius etiam emancipatus excludat nepotem in potestate retentum *per d. N. 118. c. 1. nec amplius juxta edictum Prætoris in l. 1. de conj. cum. eman. lib. cum eo conjungantur Vigl. ad §. sed hæc quidem Inst. de exher. lib. Zæf. h. num. 5.* Et hæc etiam de Jure Palatino ita se habere nullum est dubium, uti expressè *pr. h. t. statutum, ibi: Die Kinder erstes Grads die verlassens schaffe zugleich theilen in die Häupter / so viel Mund / so viel Pfund.*

XI.

Secundus casus est, si liberi jam ante parentes mortui reliquerint nepotes aut pronepotes, hi cum liberis primi gradus concurrunt, & admittuntur jure repræsentationis

nis



nis in stirpes, id est, eandem portionem accipiunt, quam accepisset ipsorum parens, si vivus fuisset *dict. Nov. 118. c. 1.*  
**An verò abnepotes & reliqui remotiores hoc repræsentationis jure fruantur, quæritur & quamvis nonnulli ultra pronepotes id non extendant per §. 6, *Inst. h. t.* quin tamen illud in omnibus descendentibus locum habeat nullus dubito §. *fin. circa fin. Inst. h. t. d. auth. in success. C. de suis & legit.* tàm de Jure Civili per *dd. texx.* quam Palatino utpote quod non tam gradus, quàm stirpem attendi vult, *ibi:*  
**So lang in absteigender Linie so weit immer möglich vorhanden ic.****

XII.

Tertius casus est, si liberis omnibus præ mortuis, nepotes vel prænepotes tantum superstites sint, & tum attendendum, an omnes sint ex una stirpe, & perinde ut primo casu successio fit in capita, an ex diversa stirpe, & tum jure repræsentationis secundum stirpes dividitur hereditas, siue fuerint diversi gradus, ut nepotes & pronepotes, vel ejusdem, ut soli nepotes *dict. N. 118. Schneid. ad hunc tit. Inst. cap. de succ. fil. nat. & leg. num. 17. Forster. d. tr. l. 4. cap. 23.* & ita quoque constitutum est jure nostro statutorio §. 3. *d. t. ibi: Wo lauter Enckel/oder andere Kind Kind vorhanden/solchen solche nur den Stammen Theil nehmen.* Et hæc de liberis his ita vera sunt, ut nec Clerici vel Monachi à parentum successione arceantur *l. 56. §. 1. C. de Episc. & Cler.* nisi sint ingressi religionem bonorum incapacem, ut sunt mendicantes *clerm. exivit. §. quia igitur in successione d. V. S.* secus de Jure Feudali ubi nec Clerici nec Monachi filii succedunt *c. un. 2. Feud. 21. c. un. 2. Feud. 26. Myns. §. 0. 48.*

XIII.

Hactenus de liberis natura & lege simul legitimis  
 ab ini.





ab initio , sequitur nunc de legitimis natura & lege simul ex post facto seu de legitimatis. Hujus legitimationis tres potissimum de Jure Civ. referuntur modi. (1.) Per subsequens matrimonium. (2.) Per rescriptum Principis (3.) Per oblationem curiæ, sed cum hæc posterior non amplius in usu de ea multa dicere, nihil attinet. Per subsequens matrimonium legitimati, parentibus ut legitimè nati per omnia succedunt §.2. *Inst. h.t. l. 10. c. de nat. lib. Nov. 74. Nov. 89.* per subsequens matrimonium enim omne antecedens vitium purgatur, & res in eum statum deducitur, atque si ab initio matrimonium constitisset per *cap. 6. extr. qui fil. sint leg.* In Feudis tamen hos non succedere textui Juris Feudalis & veritati theoreticæ magis consentaneum, quamvis contrarium in Camera Imper. & praxi receptum *Vultej. libr. 1. de feud. cap. 9. num. 94.* Circa legitimatos per rescriptum Principis seu Imperatoris, vel alterius ab ipso Principe privilegium legitimandi habentis quales sunt Comites Paletini *Schneid. h. d. cap. num. 9.* notandum, quod hi parentibus suis succedant, si nulli extent legitimi & naturales simul *Nov. 74. c. 2. Nov. 89. c. 9.* licet ex matrimonio post contracto quidam nati fuerint, quia res perfectæ & consummatæ licet perveniant ad eum casum, à quo initium ducere non potuerunt, nihilominus durant *l. 85. §. 1. de R. I.* Jus Palatinum quoad primum genus cum jure civ. convenit *infr. pr. t. 5. ibi: Natürliche Kinder deren Mutter der Vatter hernacher geehliche / die erben als weren sie in der Ehe geböhren /* quoad secundum genus cum contrarium de his non statuat, juri civili concordare videtur.

XIV,

De adoptivis jam, secundum seriem juris provincialis, quomodo succedant videamus. *Tit. 4. Wie adoptivorum de angewün- B Jure schte Kinder erben.*



Jure Civ. duo sunt genera. Arrogati, qui cum sui juris essent sese in adoptionem dederunt §. 1. *Inst. de adopt.* & Adoptivi in specie ita dicti, qui cum in potestate parentis essent alii in adoptionem dati d. §. 1. Arrogati perinde ut naturales succedunt *l. pen. §. f. C. de adopt.* In arrogatis hoc speciale est, quod iidem impuberes & sine justa causa emancipati, quartam ex bonis arrogatoris partem consequantur §. 3. *de adopt.* succedunt hietiam patri naturali *argum. Nov. 118. c. 1* Adoptivi in specie ita dicti ab extraneo adoptati & patri naturali, & adoptivo durante adoptione, ab intestato succedunt *l. 5. C. de suis & legit. l. pen. §. 1. & 2. C. de adopt.* In Feudis adoptivi regulariter non succedunt *cap. adoptivus, 2. Feud. 26.* quia consanguineis deferuntur feuda, non commentitiis liberis. *Vultej. libr. 1. de feud. c. 9. num. 90.* Jure Civ. sanctionem quoad adoptivos jus Electorale expressè confirmavit *pr. h. tit. ibi: Lassen wirs bey den gemeinen Rechten verbleiben.*

XV.

Jure Civ. liberi ex diversis matrimoniis procreati, si sint comprivigni quisque suo succedit parenti; Si verò alterum parentem communem habeant alterum diversum, & hi separatim suo proprio parenti, at æqualiter communi parenti succedunt *l. 6. §. 1. C. de secund. nupt. Forster. d. tr. l. 3. c. II. num. 3. & libr. 4. cap. 16.* Pacta verò Unionis Prolium juri civili planè incognita, cum illo hereditas patris neque dari neque adimi possit, uti *supr. thes. 4.* monuimus. De moribus verò totius ferè Germaniæ & expressâ juris nostri Electoralis approbatione pacta unionis prolium permiffa, modo requisita à Sereniss. nostro Legislatore in *part. 2. tit. 25.* recensita observentur, quo etiam hic tit. se refert, *ibi: Lassen wir es bey der Verordnung vns ter dem Titul von Einkindschafften Gesetz verblieben.*

XVI



XVI.

Naturales liberi tum demùm in bonis patris succedunt, quando nec justis liberi nec legitima superest conjux Nov. 89. cap. 12. §. 4. & quidem in sextantem seu duas uncias hereditatis paternæ cum matre dividendas *d. Nov. 89. auth. licet. C. de nat. lib.* hocque restringitur ad liberos naturales primi gradus tantum, non etiam ulterioris *l. fin. vers. sed hoc. C. de nat. lib.* quod si legitimi liberi, vel justa uxor adsit, alimenta ipsis boni viri arbitrato debentur *d. cap. 12. §. fin.* Ab hac juris civilis dispositione nec jus provinciale recedit, §. 1. & 2. *h. t.* quin etiam ut liberis naturalibus de alimentis eo magis sit cautum, expressè statutum de jure statuario, quod præfecti locorum patribus naturalibus injungere debeant, ut ipsis adhuc vivis liberis de certa portione prospiciatur, quò post mortem ipsius se sustentare possint *dict. §. 2. ibi: Damit von dem Vater noch bey seinen Lebzeiten ein benantes denselben Kindern verordnet werde.* Matri verò etiam illustri & omnibus ex linea materna ascendentibus tam de Jure Civili *l. pen. Cod. ad S. C. tum Orphit. l. 8. ff. unde cogn. Schneidew. h. cap. de succ. fil. nat. tant. num. 14.* quàm Electorali succedunt, sive soli sint sive legitimi & naturales simul concurrant §. 3. *h. tit. ibi: Ihre Mütter aber erben solche natürliche Kinder.*

Tit. 5. Wie natürliche Kinder erben.

XVII.

Incestuosi atque adulterini de Jure Civ. neque patri neque matri succedunt, sed ab omni ascendentium successione excluduntur *Nov. 89. c. fin. Nov. 74. cap. ult. auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* adeò ut nec liberi nominandi & ne quidem alimenta ipsis debeantur *dd. text.* quod posterius tamen æquitas Canonica, uti loquuntur, mitigavit, quod uti moribus observatur, ita etiam Jure Patrio

Tit. 6. Von erbung derer so von gemeinen weibern od verdammten schungen com-gebohren.





commiserationis ratione, alimenta quo se sustentare possint, ipsis exhibenda §.1.h.t. *ibi*: Soll ihnen auß natürlichem Mitleyden Nahrung gereicht werden / quoad ipsam verò successionem nihil diversi constitutum *dict.* §.1. *ibi*: Ihre Eltern 2c. gar nicht erben.

XVIII.

Restant Spurii seu vulgo quæsi, quos Seneca alicubi publicos pueros appellat, hi ad patris, & aliorum per lineam paternam ascendentium successionem non admittuntur §.12. *Inst. de Nupt.* §.4. *de succ. cogn.* l.2. l.4. *unde cogn.* quia patrem demonstrare non possunt l.23. *de stat. hom.* Matri verò, quæ semper certa est l.5. *ff. de Ius voc.* & aliis per lineam maternam conjunctis succedunt l.8. l.2. *Unde cogn.* l.1. §.2. *ad Sctum Terytl.* & quidem una cum legitimis defunctæ liberis, nisi mater sit illustris l. *pen. C. ad Sctum Orphit. Forster. d.l. 6. c. 46.* tunc enim ad bona ejus aspirare non possunt, quod tamen Jure Palat. secus videtur esse, hoc enim indistinctè spurios ad matris successionem vocat §.2.h.t. *ibi*: Erben gleichwohl dieselbige ihre Mutter / quod successionem in bona paterna, cum jure civili convenit d. §.2. *ibi*: Vom Vatter/ als der ungewiß ist / haben sie nichts zu gewarten.

XIX.

*Tit. 7. Von*  
*succession*  
*derer so de*  
*verstorbe-*  
*nen in auf-*  
*steigender*  
*Linie zuge-*  
*han.*

Hactenus de successionem liberorum, quibus deficientibus admittuntur parentes seu ascendentes, per quos non solum matrem & patrem, sed avum & aviam, proavum & proaviam & reliquos ascendentes utriusque sexus intelligimus l.51. *de V.S.* atque hos turbato mortalitatis ordine ratio miserationis, contra ipsorum & naturæ aliud intendentis votum, admittit, iisque hereditatem eorum minimè gratam l. *fin. C. comm. de success.* sed luctuosam l. *fin. C. de*



*C. de instit. & substit. naturalis quoque defert ratio Nov. I. in pref. §. 2. Nov. IIS. cap. 4. §. 1. circa fin.* quia verò supra dictum liberos in multiplici differentia, similiter parentes in eadem inveniri dubium non est, quorum successionem jam distinctè pertractabimus, & primo quidem de successione parentum naturalium & legitimorum simul, duo autem casus hic præcipuè distinguendi sunt, aut enim existunt soli, aut cum eis fratres sororesve defuncti vel eorum liberi concurrunt; Si soli succedunt ascendentes proximi exclusis remotioribus neque jus repræsentationis hic attenditur, *Nov. IIS. cap. 2. auth. defuncto. Cod. ad SCtum Tertyl. Schneid. d. I. cap. de success. par. nat. & leg. sim. num. 21. Hill. ad Don. l. 9. comment. c. 3. lit. E.* succedunt igitur primo ascendentes primi gradus, nimirum pater & mater æqualiter, vel si pater non supersit sola mater & vice versa, si mater superstes excludit avum paternum à successione filii, etiam quoad bona paterna, ut est *Gloss. communiter approbata in d. auth. defuncto super verbo gradus & in d. c. 2. super verbo proximi. Schneid. h. sub. d. c. num. 20. & 21.* Atque hanc juris civilis constitutionem secutus est Sereniss. noster Legislator §. I. *h. t. ibi: Schleust die andern Eltern in aufsteigender Linie auß.*

XX.

Deficiente primo gradu, vocantur ascendentes secundi gradu, & ita deinceps nemine secundi gradu existente, hi si fuerint plures lineæ diversæ, æquales quidem gradu sed dispares numero, verb. gr. in linea paterna avus, in linea materna avus & avia, tum hereditas dividitur in duas partes, unam nanciscentur ascendentes ex linea materna, alteram ex linea paterna ascendens avus solus habebit, fit ergo successio, non in capita, sed in lineas five

B 3

gene-



genera *d. Nov. 118. c. 2. Schneid. d. c. num. 22. Hill. ad Don. d. l. 6. comm. c. 3. lit. E. Forst. l. 7. c. 4. num. 23.* atque hæc ita se habent tam quoad jus civile quam Palatinum §. 2. & 3. *h. t. ibi: Wird die Erbschafft in zwey Stammtheil vertheilt.* Idem quoque obtinet de jure Wittenbergico *Landrecht. p. 4. tit. 19.* Ita & in Saxonia pronuntiatur, *Carpzov. p. 3. Const. 17. def. 3. add. Hartpr. ad pr. h. t. num. 369.*

XXI.

In hac descendentiæ diversæ lineæ successione, Dd. distinctionem bonorum faciendam esse volunt, unde bona provenerint, & quæ veniunt ex linea paterna, ad parentes paternos, quæ ex materna ad maternos ascendentes pertinere debere plurimi arbitrantur, *Carpzov. Jurispr. forens. l. 3. cap. 14. d. 2. Schneid. h. d. c. num. 12.* verum hanc distinctionem bonorum observandam esse ex jure civili probari non poterit, quin potius propter fundamentum hujus assertionis firmum in *d. N. 118. cap. 2. vers. si autem plurimi*, eam rejiciendam putamus, cum bona semel acquisita undecunque provenerint, cum aliis consolidentur & proprium patrimonium esse incipiant. *l. 10. §. 2. de Vulg. & pup. subst.* atque huic sententiæ etiam subscribunt. *Myns. 6. Observat. 55. Forst. dict. l. 7. c. 4. num. 12. Hill. ad Don. d. c. 3. lit. D.* Usumfructum tamen pater in adventitiis sibi acquisitum in portione matri delata retinet, per *tex. in l. fin. §. ult. C. ad SCtum Tertull. Fachin. 6. Contr. 6.* Jus Palatinum illam distinctionem bonorum nullibi attendit, sed indistinctè ascendentes ad bona defunctorum vocat, neque etiam jure Saxon. differentia bonorum attenditur *Carpzov. d. l. 3. c. 17. def. 1. Dn. Struv. h. th. 27.*

XXII.

Hæc de primo casu dicta etiam obtinent in secundo si



do si cum ascendentes concurrant fratres ἀμφιθαλείς sive utrinque juncti, qui una cum parentibus succedunt in capita, & horum liberi primi gradus jure representationis cum illis succedunt in stirpes *d. Nov. 118. c. 2. vers. sē vero junct. Nov. 127. c. 1. Forster. d. l. 7. c. 7. Schneid. sub d. cap. num. 29.* & hoc ad nepotes vel pronepotes fratrum extendendum non est, nec hic Jus Electorale dissentit §. 4. *h. t. Solche erben den verstorbenen mit dem Vatter.* Jure Saxon, ascendentes collaterales omnes tam fratres & sorores excludunt. *LandR. tit. 24. vid. Dn. Richt. sect. 2. m. 1. num. 23.*

XXIII.

Quod verò de fratribus & sororibus utrinque junctis diximus, an etiam obtineat in fratribus & sororibus ex uno tantum latere junctis, quæstionis est? Et licet *Cassan. in cons. 7. & in Consuetud. Burgund. rubr. 7. §. 7. vers. dictum est hic*, fratres & sorores ἐτεροθαλείς, sive ex uno latere tantum, succedere defuncto una cum patre & matre contendat *per l. fin. c. ad SCtum Tertyll.* hos tamen ab ascendentes excludi verius est, *per d. Nov. 118. c. 2. pr. Schneid. d. c. num. 30. Fachin. libr. 6. Controv. 8.* Sed quid si frater ab uno latere defuncto junctus parentem quoque sanguinis vinculo contingat, puta frater consanguineus cum patre, vel uterinus cum matre concurrat, & hoc casu parentem præferri dicendum est *dict. auth. defuncto. C. ad SCtum Tertyll.* quamvis aliud visum *Paulo de Castr. ad dict. auth.* atque hanc juris civilis constitutionem jus patrium comprobatur §. 5. *h. t. ibi: Halbgeschwisterig / oder deren Kinder werden mit den Eltern nicht zugelassen / etc.*

XXIV.

Hodiè ex Jure Civili pater aut avus nec usumfructum





Etum quidem in ea parte bonorum, quæ defuncti fratribus obvenit consequitur, sed ea pleno jure ad fratres & sorores pertinet *dict. Nov. 118. c. 2. vers. nullum in hoc casu. Vult. ad pr. Inst. d. t. num. 38.* Jus Palatinum itidem parentibus usumfructum in illis bonis denegat, permittit tamen illis, si proprietate partis suæ hereditariæ cedere velint, usumfr. in bonis fratrum retinere, quæ cessio etiam si nulla divisio facta, præsumitur §. 6. h. t. *ibi: Daran haben die Eltern keinen Beyßig / es wollen dann zc.*

XXV.

Cum secundæ nuptiæ Jure Civ. non usque adeo favorabiles sint, *vid. l. 22. Cod. de administr. tut. l. 3. ff. de inoff. testam. Nov. 2. c. 1.* præsertim extantibus liberis, in horum favorem specialia quædam jura introducta. (1.) Circa lucra nuptialia prioris matrimonii, quod horum binubus & binuba amittat proprietatem *l. 5. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 46.* (2.) Quoad successionem in bona liberorum quod in illis quæ à defuncto conjugè ad liberos pervenerunt, iis defunctis, tantum usumfr. in illis bonis binubus vel binuba nanciscantur, *Nov. 22. c. 23. 46. auth. ex test. C. de secund. nupt. & alia de quibus videatur l. 6. C. d. t. d. Nov. 22. c. 37. c. 40. auth. quod matri. C. de revoc. donat. & hæc tam quoad patrem quàm matrem obtinent Nov. 2. c. 2. §. 1. Forster. d. l. 7. c. 11. Gail. 2. Obs. 98. num. 3.* Sed quid si superstes conjug ex voluntate defuncti nuptias contrahat, vel si liberi consentiant secundis nuptiis an hæc etiam obtinent, & communior est opinio, quod non, quilibet enim favori pro se introducto renunciare potest. *l. 41. ff. de Minor. l. pen. C. de pact. & injuria liberis per secundas nuptias illata tollitur consensu eorum, quia consentientibus & volentibus non fit injuria l. 1. §. 5. de Injur. cap. scienti. d. R. 1. in 6. Forster. d. l. 7.*



*l. 7. c. 13. Gail. 2. Obs. 98. num. 18. & 19. Mynsing. cent. 5. O. 24. num. 7. & 8. Boer. Decis. 185. Nicol. Vigel. in Meth jur. controvers. libr. 3. c. 8. reg. 65. per tot. Jure Electorali, si cum consensu prioris mariti & liberorum superstes secundas nuptias contrahat, & beneficia in gratiam liberorum à jure introducta, non expresse ipsis reserventur, eadem quæ jure civ. obtinent § fin. h. tit. ibi: Das alsdann das überlebende ihre Kinder auch in dem so sie vom verstorbenen bekommen eygenthümlich erben u.*

XXVI.

Et hæc de successione parentum naturalium & legitimorum simul, huic similis est parentum successio in bonis filiorum legitimorum *c. tanta. extr. qui fil. sint leg. l. 10 c. de nat. lib. Nov. 89. c. 9. §. 1. N. 117. c. 2. Forst. d. l. 7. c. 38. De successione parentum adoptivorum tenendum est, quod succedat illi filio, qui in ejus potestatem transit *l. pen. C. de adopt. Arrogatores succedunt filiis arrogatis puberibus unà cum fratribus & sororibus germanis in capita d. l. pen. § fin. Schneidew. h. de success. par. leg. tant. num. 39. In quibus autem casibus naturales filii vocantur ad successionem parentum, in iis quoque & ipsi filiis succedunt Nov. 89. cap. 13 & vicissim sicut filii naturales in solidum ad hereditatem maternam admittuntur, ita & ipsa & reliqui ex materna linea ascendentes ad successionem liberorum naturalium in solidum vocantur §. f. Inst. de Scto Tertyll. l. 2. in pr. ff. eod. Forster. d. l. 7. c. 17. Spurii, ut patribus suis non succedunt, ita & hi quoque ad eorum successionem non admittuntur. l. 4. ff. unde cogn. Mater verò licet publicum scortum cæterique ex linea materna ascendentes iis succedunt d. §. fin. I. de Scto Tertyll. §. 4. Inst. de success. cogn. l. 2. l. 4. l. 8. ff. d. t. Forster. d. c. 17. num. 7. Schneid. d. l. sub capite de success. par.**

C

vulgo

*Tit. 8. Wie Eltern ihre angewinn- schte Kinder erben.*





vulgo *quæf. num. 46.* Quoad incestuosos non distinguitur inter matrem & patrem, sed indistinctè tam ex linea paterna, quàm materna liberis non succedunt *d. auth, ex complexu. C. de incest. nupt. Nov. 89. c. f.* Jus Palatinum cum nihil de eo contrarii statuatur, Jus Civile hac in parte sequi videtur, uti expressè quoad adoptivos statutum *pr. h. t. ibi: Lassens bey gemeinen beschriebenen Rechten verbleiben.* Circa spurios tamen singulare quid obtinet, jure civ. uti jam dictum mater quidem illis succedit, sed Jure Palat. vi privilegii Sereniss. Electoribus concessi exclusis quibuscunque parentibus & proximioribus cognatis, fiscus succedit. *Chur Pfalz Lands-Ord. Tit. 8.* quod etiam in naturalibus locum habet, cum spurii & naturales hodie ferè æquiparentur.

XXVII.

Tit. 9. Von  
 succession  
 derer die de  
 verstorbenē  
 in d zwerch  
 Linie ver-  
 wandt.

Non extantibus tam descendentibus quàm ascendentibus, veniunt transversales, qui sunt in linea obliqua, sic dicti quod à latere defuncto conjuncti, quales sunt fratres, sorores horumque liberi, item patruus, avunculi, amita, matertera *l. 10. l. 8. ff. de grad. & affin.* Fratres vero hi rursus in multiplici sunt differentia. Sunt enim quidam utrinque conjuncti, qui Germani dicuntur, Græcis ἀντασίγνητοι, alii consanguinei, qui quidem unum habent patrem sed diversas matres, Græcis ὁμοπάτριτοι, alii verò uterini, qui ex una matre, sed aliis patribus progeniti, Græcis ὁμομήτριτοι *Forster. l. 8. c. 1.* Ex his primo vocantur fratres Germani seu utrinque conjuncti & quidem soli in capita succedunt, si verò quidam ex his præmortui horum filii simul admittuntur, & quidem in stirpes jure repræsentationis *d. Nov. 118. c. 3.* Jure Saxon. liberi fratrum à fratribus excluduntur. *LandR. 1. art. 17. 2. art. 18. Carpzov. Jurispr. for. 3. c. 10. d. 2.* Non verò hic attenduntur bona unde provenerint.





rint. *auth. itaq. c. comm. de success. l. 13. in fin. c. de leg. her.*  
*Schneid. h. cap. de tert. suc. ord. num. 6.* neque proximitas gra-  
 dus hic attenditur, sed duplicitas vinculi, virtus enim jun-  
 cta validior, & duo vincula fortius ligant §. 2. *Inst. de adopt.*  
*Schneid. d. l. num. 8.* Aliud tamen dicendum de Jure Feu-  
 dali, ubi sola agnatio in considerationem venit, non vin-  
 culi duplicitas *c. per success. feud. §. in his verò. 2. Feud. II. Ro-*  
*senth. c. 7. concl. 57. num. 1.* Jus Palatinum constitutionem  
 juris civilis hic approbat *pr. h. t. ibi: Erstlich die Geschwister*  
*rig von beyden banden &c.*

## XXII X.

Fratribus utrinque conjunctis præmortuis vocantur  
 horum liberi, exclusis non solum fratribus ab uno latere  
 conjunctis, sed etiam patruis, & quidem jure proprio non  
 repræsentationis *d. Nov. c. 3.* Variè autem superioribus tem-  
 poribus inter Jctos disceptatum, quomodo hoc casu suc-  
 cessio fiat, an in capita, an in stirpes succederent. Accursius  
 voluit liberos hoc casu in stirpes succedere in *auth. cessante.*  
*C. de leg. her.* hujus sententiam secutus *Bart. juris lucerna*  
*& supremus Doctor, cujus vestigia Iason. dixit se solitum ve-*  
*nerari & adorare, in l. post consanguineos. §. agnati de suis &*  
*leg. post Bart. Nicol. de Ubald. tract. de succ. ab int. part. 3.*  
*num. 2.* Azo è contra in *summa sua aurea. C. de leg. her.*  
 in capita eos admittendos censuit, cujus sententia ut verior,  
 ita etiam à Carol. V. Com. Spirens. Anno 1529. con-  
 firmata est. *Zaf. l. 1. sing. resp. c. 7. & tract. feud. part. 8. num. 18*  
*& seq. Don. l. 9. Comm. c. 4. & ibi Hill. lit. H. Forster d.*  
*l. 8. c. 3. Fach. 6. Contr. 3.* & à Sereniss. Legislatore approbata  
*§. 1. h. t. In gleiche theil/in die Häupter vertheilt werden &c.*

## XXIX.

Deficientibus fratribus Germanis horumque filiis,

C 2

voca-



vocantur ad successionem defuncti fratres ex uno latere conjuncti consanguinei & uterini soli in capita *auth. post autem. Cod. de leg. her. d. Nov. 118. c. 3. in pr.* filii fratrum cum his concurrentes in stirpes *d. t. Schneid. d. c. num. 24.* Et si quidem ejusdem sint generis puta consanguinei, sine ulla bonorum distinctione succedunt *d. c. 3.* si verò diversi generis, quidam consanguinei, quidam uterini, hi in honis à matre quæsitis præferuntur consanguineis & viceversa *l. 13. C. de legit. her.* Jure Patrio distinctio bonorum non attenditur, §. 2. *h. tit. ibi: Die Geschwisterig von einem Bande ohne vnterscheid der Güter &c.* uti nec Wirtenbergico referente *Harpr. h. t. num. 445.*

## XXX.

Jure Civ. cum ultra fratres eorumque liberos duplicitas vinculi non attendatur, sed proximiores exclusis remotioribus succedunt *Forst. d. l. 8. c. 7.* adeòque nepotes ex filiis utrinque conjunctis à fratribus uterinis eorumque liberis excluduntur *argum. d. c. 3.* Jure Palatino nepotes hi cum consanguineis & uterinis fratribus eorumque liberis concurrunt in stirpes §. 3. *h. t. ibi: Berührte Enckeln mit ihren Vettern oder Basen in die Stämme erben &c.*

## XXXI.

Si nulli ex his supersint vocantur cæteri collaterales, tam ex uno, quàm utroque latere defuncto conjuncti, *d. c. 3. Forster. d. l. 8. c. 9.* & licet olim cognati tantum usque ad septimum gradum admitterentur §. *fin. h. t.* hodiè sublata agnationis & cognationes differentia omnes in infinitum admittuntur *Borch. de grad. p. m. 243.* atque hoc etiam Jure Provinciali constitutum, ut omnes indistinctè in infinitum admitterentur §. 4. *h. tit. ibi: Erben dieselben zugleich theilen/vnangesehen obs Manns oder Weibs Personen &c.*

## XXXII.



XXXII.

Atque ita succedunt fratres & sorores naturales & legitimi simul, idem jus est in legitimatis per consequens matrimonium *Vult. h. t. num. 46.* Fratres adoptati ab extraneo non habent mutuam inter se successionem *l. penult. §. 1. vers. & ideò. C. de adopt. Forst. d. l. 8. c. 14.* Fratres naturales & spurii, ex patre sese contingentes, sibi invicem non succedunt *§. vulgo quasitos de success. cogn. qui verò eadem matre nati sunt sibi invicem succedunt I. 2. l. 4. ff. unde cogn. Schneidev. d. c. num. 44.* Ex coitu legibus damnato nati sibi invicem succedere nulla ratione possunt *Nov. 74. c. fin. ibi: neque participanda est eis ulla clementia Nov. 89. c. f. Fachin. 6. Controv. 10. De Jure Palatino idem obtinet quod in parentibus. d. t. 8.*

Tit. x. Von angewün- schten brü- dern.

XXXIII.

Pertractavimus hætenus, qui jure cognationis ad successionem ab intestato, tam de jure civ. quam Electo- rali Palatino vocantur; jam qui ex ratione aliqua civili ad hereditatem defuncti vocentur, videamus. Non jure san- guinis succedunt Patronus liberti, liberos aut parentes aut fratres non habenti *§. 3. Inst. de succ. libert. junct. pr. vers. hos enim liberos. I. de serv. cogn. Mynsing. ad d. §. 3. num. 5. & ad d. pr. num. 6. Pac. in anal. Inst. ad d. §. 3.* Vir Uxo- ri, & contra. Consortes & aliæ certæ personæ, ita mortuo decurione, sine liberis, parentibus, collateralibus, uxore, hereditas ipsius ad curiam in qua ipse fuit pertinet *l. 4. C. de hered. dec. nav. naviculario defuncto, cæteris heredi- bus deficientibus ad corpus naviculariorum l. 1. C. eod. & c.* De- nique Fiscus. Nos omissis reliquis succedendi modis, se- cundum seriem juris Palatini quomodo conjuges sibi invi- cem succedant explicabimus.

Tit. xi. Vö Erbschafft der Ehleut so ohne Te- stament od- andern leg- ten willen von einan- der sterben





XXXIV.

Olim de Jure Civili & ex legibus duodecim tabularum Vir & Uxor sibi invicem prorsus non succedebant, cum nulla inter eos sit sanguinis conjunctio *l. 4. sed quoniam junct. gloss. in verb. ex nuptiis. ff. de grad. & aff.* Prætor verò varios conjugii casus considerans & quod quotidie in matrimonio casus fortuiti emergant, quorum alterutrum participem esse oportet. *l. 22. §. 7. ff. sol. matrim.* conjuges invicem admisit per Bonorum Possessionem, quam appellavit unde Vir & Uxor *l. unic. ff. Unde vir & uxor* & hoc Jus Prætorium Sacratiss. Impp. Theodosius & Valentinianus approbarunt *l. un. C. Unde Vir & Vxor.* Uxoris verò nomine hic & sponsa de præsentis venit, est enim matrimonium inter eos contractum, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat *l. 30. ff. de R. I. l. 15 junct. gloss. ff. de Demonst. & Cond. l. 32. §. 13. de Donat. inter Vir. & uxor. Schneid. h. in 4to ord. succ. num. 13. Forster. l. 9. cap. 3. n. 10. Gail. 2. O. 80.* quia verò hæc successio ex Jure Prætorio pendet, adeoque bon. possessio, necesse est, ut intra centum dies petatur *l. 2. C. qui admit. ad bon. poss. Forster. d. c. 3. num. 2 Schneid. h. num. 13.* Cæterum novissimis Justin. Constitutionibus conjuges etiam cum liberis parentibus & ex latere junctis in certa parte concurrunt *Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5.* de qua successione, ut & quid jure Palatin, obtineat, iam pertractandum.

XXXV.

Tit. XII. Vö  
erbschaften  
derer Ehe-  
leute / so  
ohne hind-  
lassung ei-  
niger Rins  
lexte willen  
ehberedum

Jure igitur novissimo, defunctâ conjugis nullis relictiis liberis, quicumque ascendentes vel collaterales adfuerint, in quartam partem succedit conjux, ejusque plenam acquirat proprietatem *d. Nov. 117. cap. 5.* ut verò hæc successio locum habeat, requiritur, (1.) ut matrimonium sit sine dote



dote , aut donatione propter nuptias , aut dos quidem sed *gen re. von*  
 perexigua. *Forst. d.l. 9. cap. 4. Schneid. h. num. 17.* (2.) Ut einander  
 præmoriens sit dives. (3.) Superstes laboret inopia, quis au. *Tods ver-*  
 tem locuples , quis pauper dicendus iudicis arbitrio per. *fahren.*  
 mittendum. *Schneid. d.l. num. 16.* Cæterum jure Patrio, ut  
 & moribus hodiernis , attendenda primum pacta dotalia,  
 vel etiam testamenta inter conjuges confecta , *de quibus. P.*  
*Peck. int. tr. Berl. dec. 91. 92. vid. §. f. tit præc. ibi: Wo nie*  
**Eheberedungen oder letzte willen vorhanden re.** his deficienti-  
 bus jure Electorali , superstes conjux, non extantibus libe-  
 ris , & ære alieno deducto ad dimidiam omnium à defun-  
 cto relictorum bonorum immobilium admittitur portio-  
 nem quoad usumfructum, præstita tamen prius cautione, in  
 alterum semissem proximi defuncti cognati admittuntur ,  
 præterea succedit superstes conjux in omnia mobilia à de-  
 functo relicta , & quæcunque constante matrimonio acqui-  
 sita tam mobilia , quàm immobilia. Ex mobilibus tamen  
 prædefuncti mariti proximis cognatis, vestes, gemmæ, ar-  
 ma , equus instructus, libri, & reliqua, quæ defunctus ad  
 tegendum corpus & statum conservandum habuit, cedunt:  
 prædefunctâ verò uxore similiter vestes illius, cleinodia, or-  
 natus muliebris, & reliqua quæ ad corpus ipsius ornandum  
 & tegendum pertinent, ut & sponsalitia largitas , si quæ à  
 marito ipsi promissa , proximis ipsius cognatis debentur ,  
 salva tamen parentum legitima, uti constitutum *pr. h. t. ibi:*  
**Sehen ordnen vnd wollen wir / daß dem letzt-lebenden ehes**  
**gemächte.**

XXXVI.

Fecimus præced. Th. mentionem bonorum mo-  
 bilium & immobilium , ordo itaque postulat , ut quæ hoc  
 casu mobilia, quæ immobilia dicenda sint videamus, atq;  
 hic



hic in quibusdam Jus Electorale Palatinum à Communi dissentit. Jure Civili ea pro immobilibus habentur, quæ naturâ suâ moveri nequeunt, *Liegende Güter vnd Gründe* l. 115. l. 198. l. 31. d. V. S. vel quæ solo natuâ aut arte firmiter cohærent l. 44. de R. V. l. 17. pr. l. 18. de act. empt. Res incorporales naturâ suâ nec mobiles nec immobiles sunt, annumerantur tamen his, si rebus immobilibus inhæreant ac ratione earundem competant, his etiam actiones quibus res immobiles persequimur, æquiparantur, ut & jura ratione earundem competentia l. 7. §. 4. ff. de pecul. l. 15. §. 2. ff. de re jud. Berlich. part. 3. conclus. 33. num. 4. Gail. 2. Obs. 10. Carpzov. p. 3. const. 24. def. 1. atque in his Ordin. Palat. cum jure civ. optimè convenit §. 1. h. tit. ibi: **Das nicht allein liegende Feld/Güter/Häuser/Hoff/ sondern auch** 2c. De pecunia ad comparationem fundorum destinata, an mobilibus, an verò mobilibus annumeranda anxie à Dd. ventilatur, quin tamen mobilibus annumeranda non dubitandum videtur, vid. Nicol. Boër. decis. 209. ubi multis hanc sententiam propugnat, & in fin ejusdem. decis. viginti quinque Doct. autoritate & duobus arrestis illam firmat, adductis etiam quatuordecim Doct. qui contrariam fovent sententiam atq; ita etiam sentit Carpz. p. 3. Const. 21. def. 15. Jure Electorali quoad hunc casum pecunia expressè inter immobilia refertur §. 1. h. t. ibi. **Des gleichen auff Gülten oder unbewegliche Güter zukauffen/ zusammen gehalten bahr Geld/ 2c.** quæ de pecunia dicta, eadem quoque obtinent in vino & frumento in non contemnenda quantitate relicto ad questum inde faciendum, item de mercibus in taberna, instrumentis mechanicis, curru & equis, quibus quis se suamque familiam, agris destitutus, sustentat, uti hæc expressè immobilibus d. §. annumerantur, ibi: **Wie auch Wein vnd Früchte 2c.** hæc tamen recensita de jure civili inter mobilia referenda esse



esse, extra omnem dubitationis aleam positum, uti expresse quoad merces statutum *l. 66. de V.S.* nec aliud dicendum de curribus *argum. l. 20. §. 4. ff. quod vi aut clam.*

## XXXVII.

Quid juris si conjuges relictis liberis decedant, jam videamus. Jure Civili superstes conjux hoc casu usumfructum tantum in quadam portione consequitur, & quidem quartæ partis omnium bonorum, si liberi fuerint tres vel pauciores, sin verò plures virilis portionis *d. Nov. 117. cap. 5. auth. præterea. C. Unde vir & uxor.* quod verò *diēt. Nov. de uxore constituit*, etiam ad maritum extendendum, & eum videlicet uxori succedere *Gail. 2. Obs. 98. num. 5. Hill. ad Don. d. l. 9. c. 1. lit. N.* Jure Palat. defuncta conjuge relictis liberis omnia defuncti bona immobilia, liberis quoad proprietatem cedunt, in bonis verò mobilibus & constante matrimonio acquisitis, defuncto patre, liberis bes seu duotrientes, mortua verò matre triens illorum bonorum ipsis accrescit, reliqua portio ad superstitem conjugem de iis pro arbitrio disponendi, devolvitur *pr. h. t. ibi: Alle von dem verstorbenen herrührende liegende Güter denselben hinterlassenen Kindern als ihr Eigenthum heimfallen &c.* si tamen insignia bona mobilia à majoribus vel cognatis liberorum profecta adsint, illa bona liberi præcipua habent *§. 1. h. t. ibi: Selsbiges fahrnus berührten Kindern auch vor allen andern gänzlich gefolget werden.*

Tit. XII.  
Von Erbschaften der  
ren Ehen  
so mit Tod  
abgehen vñ  
aus erster  
oder letzter  
Eh kinder  
verlassen.

## XXXVIII.

Jure Civili quicquid ex bonis matris ad filium in potestate patria constitutum pervenit, sive ab intestato seu ex testamento, id omne acquiritur patri quoad usumfructum & plenam administrationem *l. 1. l. 2. c. de bon. mat. l. 6. c. de bon. qua lib.* idque jure & vi patriæ potestatis quae de causa etiam matri nusquam de Jure Civili conceditur in

D

bonis



bonis paternis. *Carpzov. p. 2. C. 2. D. 13.* Sereniss. Nomothe-  
 res non solum patri, verum etiam matri usumfructum con-  
 cessit, modò liberos in omni pietate & honestate educent,  
 & liberalibus studiis vel opificiis eos imbuendos curent,  
 ipsis verò adultis de honesto matrimonio prospiciant, at-  
 que competentem dotem vel donationem propter nuptias  
 ipsis adjiciant §. 2. *h. tit. ibi:* **Bei angefallenen Gütern die  
 Administration vnd Leibzucht sein leben lang haben / das  
 hingegen zc. hactenus dicta quoad usumfructum neutiquam  
 de vitricis & novercis intelligenda, sed illi portione supra  
 memoratâ contenti esse debent. §. 3. *h. t. ibi:* **Stieff- Vate-  
 ter oder Stieff-Mutter soll kein Beyßis haben / sondern zc.****

XXXIX.

Licet pater dictorum bonorum plenissimam habeat  
 administrationem, & *ut Sacratiss. Imp. Constantin. in l. 1.  
 C. de bon. mat. loquitur,* omnia ita possit agere, tanquam  
 solidum perfectum dominium ei acquisitum fuisset, non  
 tamen patri res illas abutendo deteriorare, aut alienando  
 distrahere licet *dict. l. 1. cum usufructuarius causam usus-  
 fructus deteriore reddere non possit l. 9. princ. l. 13. §. 4. de  
 usufr. l. 2. si usufr. pet. Carpzov. p. 3. C. 20. D. 33.* hinc et-  
 iam liberis in bonis patris ratione horum bonorum tacita  
 competit hypotheca *l. 6. §. fin. C. de bon. qua lib. l. 8. §. 4. C.  
 de sec. nupt.* Hanc juris civ. constitutionem approbat et-  
 iam Jus palatinum §. *fin. h. tit. ibi:* **Die Eltern von solchen  
 ihrer Kinder Gütern nichts vereussern zc.**

XL.

**Tit. xiv.** Examinandum jam restat secundum seriem Juris  
 Welche Provincialis qui nam conjuges hâc successione gaudeant  
 Eheleut in *Cujac. adt. Unde vir & uxor.* ut hæc successio locum habere  
 vorherge-  
 hendē fällt  
 zuverstehen  
 possit,





possit, quatuor requirit. Primum est, ut justæ & licitæ sint nuptiæ *l. i. princ. d. t.* Secundum est, ut in matrimonio usque ad mortem permanserint *l. un. c. unde vir & ux.* quod si n. maritus uxorem sine justa causa domo ejecerit, vel malitiosè deseruerit, hac successione privatur *Nov. 22. cap. 15. Nov. 117. c. 8. §. 5. Rauchb. p. 1. quest. 47. num. 10.* idem statutum in conjugè adulterium committente *dict. Nov. 22. cap. 15. §. & rursus.* Tertium est, ut eluxerit maritum *l. i. & 2. c. de sec. nupt.* Quartum, ut non diverterit, quamvis divortium non valuerit & uxor permanserit *dict. l. i. §. 1. Hill. ad Don. lib. 9. c. 1. lit. L.* vid. & de his requisitis *Forst. l. 9. cap. 3. num. 3. Schneidevv. ad h. t. d. c. num. 15. ac num. 22. & seqq.* Jus Statutarium hac in parte jus civile sequitur, uti videre est *oto h. tit. & §. 5. tit. seq.*

## XLI.

Ardua & à Dd. satis vexata quæstio est, num sponsa instar legitimæ conjugis potiatur lucris nuptialibus vigore statutorum concessis? In tam varias hic Dd. abeunt opiniones, ut non abs re Mynsing. dixerit, Imperatoria Decisione & Pragmatica sanctione hanc quæstionem indigere *cent. 4. Obs. 78. num. 4.* Affirmat, tumentur *Berlich. p. 3. concl. 25. & Dd. ab eodem recensiti*, quorum Princeps est Bartolus, *ubi num. 11. in fin. addit. in conflictu opinionum eam servandam quæ Bartolum habet propugnatorem.* Contrariam sententiam propugnant *Salic. in l. 6. c. de Donat. ante nupt. num 4. eumque secutus Schneid. d. l. num. 19. Tiraquell. tract. de lege connub. Gloss. 2. verb. en pon voir de son mary. n. 1. & seq.* atque huic sententiæ etiam accedere videtur *Bachov ad Trentl. Vol. 2. Disput. 7. th. 1. lit. D.* ubi trutinatis pro utraque parte rationibus, tandem concludit; negativa fortassis in puncto juris verior, sed affirmativa humanior, quo



etiam inclinatur *Carpz. p.1. C. 19. D. 1.* quam posteriorum sententiam etiam nos defendere conabimur, *idq. arg. l. 24. C. de nupt.* ubi sancitur, quod sub conditione nuptiarum promissum non debeat, nisi ipsa accesserit nuptiarum festiuitas. *Add. Cravett. cons. 632. num. 3.* Jure Palatino quoque hæc negantium sententia expressè confirmata *§. fin. h. t. ibi: Welche nach gehaltenem Kirchgang/ die Deck mit einander beschlagen hetten.* Atque hæc consensio thalami etiam de Jure Saxon. requiritur. *LandR. l. 1. art. 45. ibi: Er habe dann das Braut-Beth beschritten.*

XLII.

*Tit. 15. Von  
Wensig des  
letzten Eh-  
gemächtes /  
vñ der cau-  
sion so man  
deswegen  
zu letzten  
schuldig.*

Jure Civ. usufructuarius regulariter cavere jubetur, se usum boni viri arbitrato, hoc est, causam ususfr. se non deteriorem redditurum, cæteraque facturum, quæ in re sua faceret *l. 1. pr. §. 3. §. 6 h. t. & deinde cum ususfr. ad eum pertinere desinet, se restitutum quod inde extabit d. l. 1. princ. §. fin. h. tit. add. l. 2. l. 3. ead.* sunt tamen de Jure Civ. quidam casus excepti, quibus usufructuario cautio remissa, ut in *l. 9. §. 2. usufr. quem. cau. l. 3. §. 10. de carbon. edict. l. 1. §. 18. ut leg. serv. cau. argum. l. 28. de R. J. l. 19. §. 1. de re jud.* patri quoque fructuario bonorum maternorum cautio ipso jure remissa. *l. fin. §. 4. in fin. l. 6. §. 2. C. de bon. qua. lib.* Jure provinciali tam patri, quam matri, cum & hæc, uti supra monuimus usumfr. bonorum paternorum nanciscatur, cautio illa remissa, nec sine urgenti necessitate ab iisdem exigenda *pr. h. t. in fin.* **Das ein Vatter oder Mutter ohne sonderliche Ursachen mit solcher caution nit beschweret werde.**

XLIII.

Cavere debet usufr. regulariter datis fidejussoribus *argum. l. 4. C. de usufr. l. 5. §. 1. l. 7. pr. & passim. ff. h. l. 13. pr. de usufr.*





*de usufr.* si fidejussoribus verò vel etiam pignorbùs cavere non possit, iudex arbitratitur, utrum usufructuario cum juratoria cautione res committi queat *auth. generaliter. C. de Episcop. & Cleric. Nov. 112. c. 2. §. 2. Inst. de satisfat.* vel proprietario relinquenda, ita ut loco fructuum aliquid ei solvat. *Gail. 2. Obs. 47.* Jus Palatinum cautionem datis fidejussoribus præcisè non requirit, sed prudenti iudicium arbitrio id relinquit, considerata superstitis vita, an metus dilapidationis bonorum adsit nec ne *§. 1. h. t. ibi: Wie auch solche caution zu præstiren, stellen wir zu vnser Amptleuth discretion &c.*

XLIV.

Quamvis usufructuarius extraneus cum incipit frui bona in testatum redigere, hoc est, describere teneatur & consignare, ut post mortem ipsius cognosci possit, quid quantumque ipse ususfr. loco acceperit *l. 1. §. 4. usufr. quem. cav. Castell. de usufr. c. 14. num. 4. c. 15. num. 19.* excipiendus tamen hic est parens, qui præcisè ad consignationem bonorum seu inventarium conficiendum de jure non adstringitur *l. 8. §. 4. in fin. C. de bon qua. lib.* Ordinat. Electorali tenetur superstes inventarium conficere post trigessimum diem inchoandum sub poena amissionis ususfr. *§. 2. h. t. ibi: Als bald nach dem dreyszigsten tag bey verlust des anerwachsenen Beystis zu inventiren schuldig seyn.* nec solum hoc, verum ut liberis eò magis sit cautum etiam juramentum corporale ipsis injungi potest, de in dicandis omnibus defuncti bonis uti habetur. *§. 3. h. t. ibi: Es soll auch auff begehren vermittelst gegebener Handtrew oder leiblichen Eyds &c.*

XLV.

Amittitur ususfr. si usufructuarius re in usumfructum data malè utatur, eam deteriorando, alienando, quod

D 3

tam



tâm in extraneo, quàm parente locum habere puto *l. pen. §. 1. 2. C. d. t. l. pen. & f. C. de servit. add. l. 20. l. 29. ff. h. auth. qui rem. c. de SS. Eccl. & non solùm patri dissipanti & malè regenti est bonorum filii administratio adimenda, sed etiam ob impietatem erga personam filiorum servatam ut loquitur, Nicol. Boër. decision. 61. num. 16. argum. l. 22. §. si verò dotem. ff. soluti matrim. argum. l. Imperator. 50. ad Sctum Trebell. l. f. §. 2. C. de sent. pass. Atque ita etiam etiam constitutum legimus in jure nostro statuario §. 4. h. tit. ibi: Da ein Vater oder Mutter eines leichtfertigen / vnehebrischen / liederlichen Lebens &c. reliquas amittendi ususfructus causas de quibus videatur *Don. com. lib. 10. c. 16.* quod attinet, jus patrum in iis nihil corrigit, sed potius eas confirmat §. 7. h. t. ibi: Lassen wir es bey den gemeinen beschriebenen Rechten verbleiben.*

XLVI.

Quin pater ad secundas transiens nuptias usumfructum dictorum bonorum retineat, extra omne dubium est *vid. Nov. 22. c. 34. l. fin. c. de bon. mat. Dn. Struv. Exer. 12. th. 5.* quod etiam de Jure Palatino est verissimum, modò non sint nimis maturatæ intra tempora luctus non impetratâ à Sereniss. Electore veniâ, vel etiam malo more contracta, ex quibus dedecus defunctam conjugem vel superstites liberos sequatur, quo casu usumfr. superstes amittit §. 5. h. t. ibi: Soll dasselbig Ehegemächt den Beysis bey solchen Gütern verlohren haben / &c.

XLVII.

Cum usufructuarius omnes fructus omniaque emolumenta, quæ ex re aut ejus occasione percipiuntur, sua faciat *l. 7. l. 9. ff. ususfr. quem. amitt.* ita quoque onera prædio imposita sustinere tenetur, ut sunt tributa, vectigalia, stipen-



stipendia aliaque onera tam extraordinaria quam ordinaria  
*l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. de usufr. nisi fuerint immodica ipsos fructus  
 exuperantia, quod enim ultra modum fructuum impen-  
 sum à proprietario refundendum argum. d. l. 7. §. 2. l. 30.  
 §. 1. de leg. 3. Hahn. h. t. num. 5. in fin. Carpzov. 1. Resp. 105.  
 num. 12. non tamen æs alienum defuncti solvere tenetur, ne  
 quidem si sit fructuarius omnium bonorum argum. l. 1. C. si  
 certum petatur. l. 2. C. de hered. act. junct. l. f. ff. de usufr. Gail.  
 2. Obs. 146. Fachin. 4. Contr. 19. Jure Electorali usufructuarius  
 etiam ad præstanda onera bonis illis imposita, adstringitur  
 §. 7. h. tit. ibi: **Daß der Besizer alle Beschwerden zutragen  
 schuldig se.***

XLVIII.

Cum usufructuarius fructus perceptione suos faciat  
*l. 13. quib. mod. usufr. amitt. nec prius ei cedant fructus quam  
 si eorum possessionem nactus sit, quod fit, si ipse vel alius  
 ejus nomine defecerit l. 12. §. ff. h. t. Gædd. ad l. 30. de V. S.  
 num. 5. 6. unde si finito usufr. pendeant usufructuarii non  
 fiunt, licet maximâ anni parte steterint d. l. 13. Percepti au-  
 tem fructus, etsi immaturi l. 48. §. 1. d. t. l. pen. de usufr. leg-  
 fiunt ejus pleno jure, ut ad heredem transeant l. 7. §. 1. h.  
 licet minima anni parte steterint l. 27. pr. l. 58. pr. h. t. Donell.  
 d. l. 10. cap. 9. quod si igitur nondum perceptis fructibus  
 fructuarius decesserit, fructus ad heredes non pertinent.  
 Ordinat. Palat. si fructuarius jam semente facta, & maxi-  
 mo labore jam absoluto, licet nondum maturis fructibus  
 decesserit, fructus inter proprietarii & usufructuarii here-  
 des dividuntur, & impensæ ut & sumtus in culturam facti  
 pro æquis portionibus refundendi §. fin. h. t. ibi: **Daß solche  
 erbaute Wein vnd Früchten zugleich getheilt se.***

XLIX.



XLIX.

Tit. 16. Ob  
ein Ehege-  
mächte dem  
andern sein  
gebührend  
recht durch  
Testament  
entziehen  
mät.

Vidimus hactenus de successione conjugum ab in-  
testato, jam quid in testamentaria obtineat, & quidem an  
conjux conjugem successione illa in testamento privare pos-  
sit, considerandum. Jure Civili portione illa constitutio-  
nibus Impp. conjugii tributa superstitem privari non posse,  
omni caret dubio. *Gail. 2. Obs. 119.* sed potest superstes, si  
ipsi nihil vel minus quarta parte relictum suppletionem il-  
lius portionis petere *d. auth. praterea, in fi. Cod. unde vir &  
ux. arg. c. Rainutius x. de testam. Forst. d. l. 9. c. 5.* & hæc ita ob-  
tinent quoad illam portionem Constitutionib. noviss. Impp.  
tributam. In usufructu plane aliter se res habet, mater e-  
nim testamento cavere potest, ne hic ad patrem devolvatur,  
*Nov. 117. c. 1. Heig. p. 2. q. 12. n. 10.* Jure Palatino neq; usufr.  
neq; reliqua portio superstiti conjugi hoc jure tributa testa-  
mento auferri potest, nisi ex his causis, ex quibus dissolutio  
matrimonii potest impetrari, vel etiam talibus, quæ ad li-  
berorum exheredationem sufficiunt, tunc enim causa nomi-  
natim inserta & probata, lucris illis superstes carere cogitur.  
*tot. h. t. ibi: Jedoch wo der massen ursachen vorhanden / die  
zu der Ehscheidung gnugsamb zc.*

L.

Wie  
hab  
sterben ei-  
nes Ehege-  
mächtes mit  
den schul-  
den zubalē

Jure Civ. heres qui semel hereditati se immiscuit,  
fit obnoxius omnibus creditoribus hereditariis, ita ut tenea-  
tur satisfacere, non solum in quantum suppetunt bona de-  
functi, sed etiam ultra vires hereditarias, & quod deest de  
suo supplere cogitur *l. f. §. 1. & ibi Dd. C. de jure delib.* quia  
heres adeundo cum creditoribus hereditariis quasi contra-  
here videtur *l. §. heres. de O. & A.* ne igitur hereditatem  
adeuntes alienis debitis involverentur, duplex remedium à  
jure inventum, primum est jus deliberandi *§. 1. de Hered.*

qual.





qual. VVif. h. n. 15. alterum est beneficium inventarii l. f. C. h. t. de quibus beneficiis ne jam acta agamus plura non ad- dimus vid. Diss. prec. th. 41. & seq. & c. ex his posterius multo fa- lutarius, quo si heres utatur ultra vires hereditarias non tene- tur d. l. f. §. 4. isto verò neglecto insolidum etiam ultra vires hereditarias tenetur dict. l. fin. §. 4. & hoc non tantum in extraneis heredibus, verum & liberis & conjugibus sibi suc- cedentibus ita se habet, cum nullibi de iis speciale quid con- stitutum. Jure Palatino si heres absque beneficio inventa- rii hereditatem adeat in solidam etiam obligatur vid. Landr. p. 3. t. 17. §. 2. in f. in successione conjugum hoc speciale est jure patrio, quod superstes defuncti hereditatem respuens in- tra duos menses coram Magistratu cujusq; loci cogatur com- parere, citatis iis quorum interest, & causas cur defuncti hereditatem respuat adducere atque bonorum separationem petere, quæ illi etiam sine legitimis causis non deneganda §. 2. h. tit. ibi: **Das es innerhalb zweyer Monath vor unsern Ampt Leuthen erscheinen / zc.** Præterea etiam constitu- tum, ut Creditoribus liberum sit, à superstite imprimis uxore, cum foeminæ plerumque avaræ sint & tenaces, l. 33. §. 1. de donat. int. vir. & ux. l. 4. §. 1. ad Sctum Vell. l. 16. in f. C. de donat. ante nupt. juramentum exigere, quod nihil è de- functi bonis amoverit aut distraxerit. §. 3. h. t. ibi: **Frawens Persohnen so mehren theils der gemachten Schulden halben sich pflegen zu entschuldigen zc.**

Ll.

Licet mulier majorennis pro lubitu res suas etiam in scio marito donare, alienare, & de iis disponere possit l. 6 C. de rev. don. l. 12. C. de pign. Tiraq. de leg. connub. Gloss. 8. verb. de son maris. num. 6. VVes. p. 1. cons. II. num. 17. pro aliis tamen intercedere, h. e. alienam obligationem sive veterem sive no-

E

vam





vam in se suscipere non potest l.2. §. pen. & ult. l. 8. §. 1. ff. ad  
Sctum. Vell. l. 18. C. eod. idque propter imbecillitatem eorum  
sexus, ita quidem, ut licet mariti obligationi accedat, non  
tamen teneatur Nov. 134. c. 8. & auth. si qua mulier. C. h. cum  
ad hanc intercessionem facilius foeminae induci possint, sunt  
tamen casus quidam excepti quibus intercessio haec valet,  
inter quos etiam refertur, si communem cum viro exercent  
negotiationem. Gail. 2. Obs. 90. num. 5. Rittersh. p. 2. ad Nov. c. 4.  
n. 23. quae exceptio etiam in iure Palatino fundata §. 4. h. t.  
ibi: Die schulden von solchen Händeln herrührend zu zahlen  
schuldig sein &c.

LII.

Uxorem pro restitutione dotis jus tacitae hypothecae  
à lege introductum habere in omnibus mariti bonis explo-  
rati juris est. l. un. §. 1. C. de rei uxor. act. §. 29. Inst. de act. c. ex  
literis. de pign. adeo ut omnibus creditoribus etiam expres-  
sam hypothecam habentibus in persecutione ejusdem præ-  
feratur, l. 1. §. generaliter de leg. prest. l. assiduis. C. qui pot. in  
pign. an verò hoc etiam extendendum ad bona uxoris para-  
phernalia non una est Dd. sententia, alii enim etiam ratione  
illorum bonorum tacitam hypothecam ipsi competere exi-  
stimant, Mynsing. 5. O. 4. Gail. 2. O. 92. num. 40. alii è contra ne-  
gant. Bach. de pign. 1. c. 10. num. 3. Giph. in l. un. C. de rei uxor.  
act. p. 414. & in l. f. C. de pact. convent. Perez. ad tit. C. de rei  
ux. act. n. 11. cui posteriori sententiae & nos astipulamur. Jus  
Electoralis hic se ad jus civile refert §. f. h. t. ibi: Nach Ordo  
nung der Rechten sich deswegen zu erholen mache haben &c.

LIII.

Jure Civ. heredibus liberum an ipsi sine iudice pri-  
vata conventionione bona dividere velint l. 3. l. 8. Cod. comm. utr.  
jud. & vel fors adhiberi solet, vel secundum morem jure  
Sax. receptum major dividit ac minor eligit. Land R. l. 3. art. 29

Carpz.

Tit. 18 Von  
Gütern die  
in Erb-  
schafts thei-  
lungen ohn  
nachtheil  
nit getrennt  
werdē mö-  
gen.



*carp. p. 3. const. 15. d. 2.* an verò iudicis arbitrio illam relinque-  
re velint, qui singulis heredibus suas adjudicet portiones, si  
res commodè dividi possint *l. 22. §. 1. & 2. fam. ercisc.* si verò  
res commodè divisionem non recipiat, ut aedes, fundus,  
tunc illa res tota uni potest adjudicari, & is invicem alteri  
in certam pecuniæ quantitatem condemnatur *l. 6. §. 10. comm  
div.* si verò inter se de pretio convenire non possint admit-  
titur licitatio *l. 11. C. comm. div.* atq; pecunia inter eos dividitur.  
Jus Palat. hoc casu arbitrio heredum itidem relinquit, an ipsi  
res velint inter se dividere, vel iudicis decisione illam relin-  
quere, & vel sorti rem committere, vel aliis licitando vende-  
re possunt, *h. t. per tot.*

LIV.

Sequitur de collatione bonorum. Collatio bono-  
rum est, qua rem ab ascendentes vel horum intuitu acce-  
ptam liberi illis succedentes in cōmunem inferunt massam  
*vid. Finn. de collat. bon. c. 3.* Fit autem hæc vel re ipsa per divi-  
sionem bonorum conferendorum, vel (2) cautione si quis  
datis fidejussoribus vel pignoribus coheredes suos securos fa-  
ciat de bonis conferendis *l. 1. §. 9. h. t.* vel (3) utroque modo,  
si quædam dividantur, de quibusdam dividendis caveatur  
*l. 1. §. 11. h. t.* Conferunt autem descendentes, non tantum e-  
mancipati suis, sed & sui emancipatis, quin & sui suis & e-  
mancipati emancipatis *l. 17. l. 19. l. 20. l. f. C. h. t. Nov. 18. c. 6.*  
*Bach. ad Treutl. vol. 2. Disp. 17. th. 3. lit. c.* non solum autem in-  
ter se conferunt, sed etiam cum patris, amitis, avunculis  
concurrentes hæ personæ illis, & illi his ad collationem te-  
nentur *d. l. 19.* Jus provinciale hic se cum communi confor-  
mat *pr. & §. 1. h. t. ibi: Zwischen Erben in absteigender Linie etc.*

Tit. 19. Bö  
einverffen  
& Güter etc.

LV.

Diximus illa bona conferri, quæ ab ascendente vel  
intuitu ejus vivo illo cui succeditur in liberos profecta *l. 1.*





§. 18. b. l. 12. C. h. Sic conferenda dos quam filia, & donatio propter nuptias quam filius à parente de cuius hereditate agitur accepit l. 17. C. h. t. Nov. 18. c. 9. item ornamenta muliebria, vestes pretiosiores, catenæ aureæ *Gail. 2. O. 91. num. 6. Carpz. 3. C. 11. d. 11.* non verò sumptus in festivitatem nuptialem impensi *arg. l. 2. §. 2. h. l. 6. C. eod. Berlich. dec. 8.* nisi in dotem fuerint imputati. *Carpz. d. l. d. 23.* atque hanc juris civ. constitutionem sequitur etiam jus nostrum statutarium §. 1. h. t. *ibi: Dann was die Kinder an Ehstewer / Hochzeit-Kleidungen &c. empfangen / das müssen sie einwerffen / nec sumtus in festivitatem nuptialem impensihic videntur excipiendi, §. 1. h. t. ibi: Und andern Hochzeitlichen Unkosten*

LVI.

A collatione hac excipiuntur tamen, quæ liberis Primo simpliciter donata l. 18. C. fam. *ercisc. l. 20. §. 1. in fin. C. de collat. VVissenb. h. th. 12.* Secundo ob benemerita donata *arg. l. 10. C. h. t. Gail. 2. O. 38.* debet tamen constare de meritis, nec sufficit dicere dono filio benemerito, & debent merita per ipsum filium probari *Gail. d. l. (3)* quod ad redimendum filium impensum l. 17. *Cod. de postl. rev. (4)* quæ ad discendas artes impenduntur ut sumtus in studia l. 50. *fam. erc. arg. l. 2. §. 6. eod. l. 2. pr. l. 21. §. 3. ad municipal.* item libri in usum filii ab ascendente comparati *Carpz. 3. C. 11. def. 17. num. 2.* item quæ ad dignitates obtinendas ab ascendentibus erogata l. 1. §. 16. *h. t. l. 20. §. 6. fam. erc.* idem quoque obtinet in sumtibus in peregrinatione consumtis, *Carpz. 1. C. 11. d. 18.* atque hæc etiam de Jure Palat. à collatione immunia nullum est dubium §. 2. *h. t. ibi: Aber schenckungen so die Eltern den Kindern aus sonderlicher zuneigung &c.*

LVII.

Observandum verò hæc præced. th. Dicta locum non habere



habere si (1) is qui suppeditat velit sumtus collatos, & testa-  
 mento vel alias voluntatem expressè declaret, vel animus  
 credendi ex certis indiciis probetur *l.34. ff. neg. gest. l.11. C. eod.*  
*l.50. fam. erc. l.7. C. de collat.* detrahendi tamen sumtus in  
 alimenta facti, quos etiam in alios filios impendit *arg. l.11*  
*C. neg. gest.* quæ vero alimentorum nomine veniant *vid. l.6.*  
*§.5. de Carbon. edict. l.12. §.3. de administr. tut.* (2) si sumptus  
 male consumti *arg. l.1. §.13. l.2. §.2. h.* unde & libri conferen-  
 di si studia deseruerit. *Dn. Struv. Exerc. 37. th. 29,* atque ita  
 constitutum à Sereniss. Legislatore §.3. *h. t. ibi:* **In solchen**  
**fällen soll es ihnen in der Theilung abgefürhet werden.** quod  
 si etiam filius vel filia illa portione, quam vivo patre accepit  
 contenta esse velit & hereditati renunciaret, illam non con-  
 ferre tenetur *l. f. ff. de coll. dot.* modo reliqui liberi legitimam  
 salvam habeant *Christina. V. 4. dec. 2. n. 4.* uti quoque consti-  
 tutum legimus Jure patrio §. 4. *h. t. ibi:* **Da auch ein Kind/**  
**mit dem was ihm Lebzeiten der Eltern**

LIX.

Veniunt igitur ea omnia in collationem, quæ à jure  
 specialiter non sunt excepta, sed hoc ita quatenus voluntas  
 patris in contrarium non est *auth. ex testam. C. de collat.* ex vo-  
 luntate enim patris non solum expressa sed etiam tacita col-  
 lationem cessare nullum est dubium *Hartm. Pistor. p. 1. q. 19.*  
*n. 11.* cum enim ex præsumpta parentum voluntate sit intro-  
 ducta, quod nempe parentes inter liberos æqualitatem ma-  
 ximè servare voluisse censeantur *l. 20. in f. C. de collat.* quid ni  
 ergo eam impedire quoq; poterint *Carpz. p. 3. c. 11. d. 24.* atque  
 hæc sententia etiam à Jure Electorali Palat. approbata *§. f.*  
*h. t. ibi:* **Hätt aber Vatter oder Mutter solch einwerffen ver-  
 botten re.**

LIX.

Rebus hereditariis divisio illi standum, &

idem

Tit. 20. Ob  
 in beschebe-  
 ner erbhei-  
 lung jemäd  
 berrogen re



quidem si per sententiam iudicis facta etsi, alter coheredum  
 etiam ultra dimidium læsus sit, retractari nequit *arg. l. 36. fa-  
 mil.erc.* cum omnia quæ à iudice acta sunt præsumantur ri-  
 tè celebrata *c. 23. §. porro de Elect.* & iudicis autoritas omnem  
 fraudis & læsionis præsumtionem excludat *c. 6. de renunciat.*  
 si tamen quis dicat ex gratia singulari iudicis, vel quod is  
 in errorem ab adversa parte aut iniquis æstimatoribus sit in-  
 ductus, damnum se esse passum, audiendus est *arg. l. 2. verb  
 sincera fide. C. si propter publicam pensit.* Divisio extrajudicialis  
 non solum ob læsionem ultra dimidium *l. 2. C. de resc. vend.*  
 sed etiam si alias per dolum aut fraudem perperam facta di-  
 visio, revocari potest *l. 3. C. comm. utr. jud.* Atque ita etiam  
 placuit Sereniss. Nomothetæ *pr. & §. 1. h. t. ibi: Soll ein jers  
 der an seiner zuertheilten Portion benüßig seyn / es were dann  
 sach ic.* addita etiam multa pro ratione circumstantiarum  
 nocenti parti irroganda *d. §. in f. ibi: Mit gebüh-  
 render Straff gegen dem Schuldigen theil  
 zu verfahren.*

S. D. G.











ULB Halle  
002 063 00X

3




S. 6.

VD17











1669 10 6

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
EXHIBENS PRAECIPVAS  
**JURIS COMMUNIS**

ET  
**ELECTORALIS PALATINI**

circa materiam successionis ab intestato  
differentias

QVAM,  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
DECRETO ET AUTHORITY  
**MAGNIFICI ET AMPLISSIMI IN PER**  
VETUSTA HEIDELBERGENSI ACADEMIA ICTORUM  
ORDINIS

P R A E S I D E  
VIRO MAGNIFICO AC CONSULTISSIMO  
**DN. JOH. FRIDERICO**  
**BÖCKELMANNO,**

Jcto Celeberrimo, SERENISS. ELECT. PALAT. Consiliario, & Cu-  
riae Aulicae Vice-Præside, Facultat. Juridicae Antecessore Primario  
Ejusdemque p. t. DECANO Spectatissimo, Fautore  
ac Promotore suo ætatem venerando

P R O  
**SUMMIS IN UTROQUE JURE HONO-**  
RIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME  
CONSEQUENDIS

Publicæ ac solenni Eruditorum Censuræ submittit  
**REINHARDUS LUDOV. LINGELSHEMIUS,**  
Palatinus.

Ad Diem 13. Julij. H.L.Q.S.  
HEIDELBERGÆ,  
Excud. GUILIELMUS WALTERUS, Acad. Typogr.  
Anno M DC LXIX.

